

Et si diligenter conferas Autorum loca, (Dioscoridis scilicet cap. 98. lib. 1. Theophrasti cap. 9. lib. 4. histor. plantar. & Plinij cap. 11. 12. & 13. lib. 13. & Strabonis locum, qui 17. libro continetur) facile patebit, *Biblum*, & *Papyrum* eandem esse plantam. Appellata autem est *Biblus*, ὅτι ἐν αὐτῇ τὰς βίβλους βάλλεται, hoc est, quòd vitæ ratio in hac conferatur: quod duplicem habet sensum. Nam Gentes, apud quas nascitur *Biblus*, ut sunt Ægyptij, Syri, Babylo- nij, Indi, ex hac etiam victitant, quod testantur omnes prius citati autores, crudam & coctam plantam esitantes, & manducamentum expuentes. Cùm ergo cibum præstet vitæ, rectè sic appellata est, quia inde victitant.

Est & altera ratio, quæ ex Plinio obseruari potest: quòd acta in hanc conferrentur, quandoquidem ex hac fiebāt chartaria, id est, chartæ vtilis ad scribendum, quæ materia nisi esset, confusa esset vita humana. Vnde Plinius inquit, sub Tyberio principe factum esse inopia chartæ, ut de Senatu darentur arbitri dispensandi, aliàs in tumultu vita erat. Et paulò antè: chartæ usu humanitas vitæ constat & memoria. Hæc ad rationem nominis, ex quo colligi potest, *Biblum*, seu, *papyrum*, præstitisse veteribus materiam, in qua scriberentur libri, ideoque à materia dicta sunt *Biblia*. & ut inquit Eustatius: ὅτι ἕποικείμην τῶν χαρτῶν χαρτάρια. Hinc apud omnes scriptores *Biblia* & *Biblus* pro codicibus sumuntur, non solum apud sacros, sed & prophanos autores.

Ita